Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8340
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek

Et ipse tamquam ymbres mittet eloquia sapiencie sue. et in oracione
confitebitur domino. Et ipse diriget consilium eius. et disciplinam
et in absconditis suis consiliabitur. et ipse palam faciet dis-
ciplinam doctrine sue. et in lege testamenti domini gloriabitur.
Collaudabunt multi sapienciam eius. et usque in seculum
non delebitur. Non recedet memoria eius. et nomen eius
requiretur a generacione in generacionem. *Item de uno martire siue*
confessore qui non fuit pontifex. lectio libri sapiencie
Beatus homo qui invenit sapienciam et qui affluit
prudencia. Melior est acquisicio eius negociacione
argenti et auri primi et purissimi. Fructus eius preciosior
est cunctis opibus. et omnia que desiderantur huic non valent
comparari. Longitudo dierum in dextera eius. et in sinistra illius
divicie et gloria. Vie eius vie pulchre. et omnes semite il-
lius pacifice. Lignum vite est hiis qui apprehenderint eam.
et qui tenuerit eam beatus. Dominus sapiencia fun-
davit terram. stabilivit celos prudencia. Sapiencia illius
eruperunt abyssi. et nubes rore concrescunt. *Sapiencie.*
Beatus vir qui in sapiencia morabitur. et qui in iusticia
meditabitur. et in sensu cogitabit circumspectionem
dei. Cibabit illum pane vite et intellectus. et aqua sapiencie
salutaris potabit eum. Et firmabitur in illo et non flectetur.
et continebit illum apud proximos suos. In nomine eterno he-
reditabit illum dominus deus noster. *lectio libri sapiencie.*
Sapienciam omnium antiquorum exquiret sapiens. et in prophe-
tis vacabit. et in versucias parabolarum simul introibit.
Occulta proverbiorum exquiret. et in absconditis parabolarum
conversabitur. et in medio magnatorum ministrabit. et in con-
spectu presidis apparebit. et in terram alienarum gencium